¶ Vita diui Anthonij ad sanctissimū dominū Eugenium papā quartū. per Mapheum vegium laudensem

nach 96,1

UNIV. BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Inkun. 1508

¶ **Vita diui Anthonii ad sanctissimum dominū Eugenium papam quartum per Mapheū vegium laudensem sincipit.**

Ugeni ductor populi custosq; fidelis
Que legis hec nostri dona laboris habe
Sepius his fessam mentem mulcere licebit.
Sepius & curas his recreare tuas
Non hic ficta leges veterum mendatia vatum
Tu sacer & sacra dignus es historia
Hic Anthoniaden titulum si scire libelli
Cura sit. hic diuum persequar acta patrum
Digne pater qui iusticia cultuq; fideq;
Et populis et dijs pĩcipibusq; places
Digne pater longis ne te nunc laudibus ornem
Laus prior hec ingens splendidiorq; tua est
Scilicet infestis q̄ tandem euasit ab vndis
Te duce clauigeri naufraga cymba petri
Quod saluatoris vestigia sancta sequutus
Tot casus nosti totq; pericula pati

¶ **Maphei vegii laudensis Anthoniados Liber primus incipit.**

On hic pegasides non ficta et inania muse
Nomina. non prisco numen de more vocarim
Phebe tuum. neq; eum regum nunc tristia bella
Aut veterem falsumq; iouem. turbā ve deorum
Incertam. lususq; leues pompasq; tumentes
Ordiri est animus. nunc te sate virgine te nunc
Certe deus nunc mortalis tua numina diuos
Angelicos dicam in terris hominesq; beatos

Ergo dei magni soboles pande optime nostris
Uela secunda Jesu placidusq; allabere ceptis
Et tu chare deo veterum sanctissime patrum
Antoni. cuius miro succensus amore
Accingor facta sonis celebrare camoenis
Nosce pium desiderium z succurre vocanti
Z non cuncta sequi rerum diuina tuarum
Gesta velim quis eni verbis se singula posse
Crediderit benefacta tue comprehendere vite
Non referam quibus infernos superaueris hostes
Uiribus aspectusq; truces quo pectore formas
Horrendasq; acies pugnasq; exceperis acres
Insidiasq; astusq; z verbera seua tacebo
Non celebres rarasq; tuarum exponere dotes
Uirtutum. stabilemq; animi vultusq; tenorem
Aggrediar. Non quas animas que corpora sancto
Juueris auxilio. non que ventura resoluens
Judicio verus vates preuideris alto
Non quos insignes cunctis vulgatus in oris
Et populis et principibus veneraris honores
Quodq; sub eterno mansurum tempore nomen
Quesieris. non nulla tue que sancta iuuente
Longeue pariterq; extant monumēta senecte
Uerum quo magni monitu imperioq; tonantis
Accessi loca vasta situq; horrentia longo
Sacrum ingressus iter diui sacra limina pauli
Expediam primumq; heremum primosq; recessus
Hec operis tantum nostri est hec summa laboris
Reuerat z q̄uis heremicq; humilisq; sacelli
Cultor honorato totum compleuerat orbem

Nonnine. confectus iam longo anthonius euo
Quo non consilio maior quo purior alter
Non foret integrior ve dei ve ardentior alter
Qui conculcarit qui profligauerit ⁊ se
Castigans alta virtute subegerit omnem
Vim sensumque ⁊ tot mira ratione rebelles
Infestosque animi motus tot dura furentis
Tam crebra infensi superarit prelia secli
Celestem humano ducens sub pectore vitam
Ergo pater senior dum secum tempora forsan
Preterita et varios voluit casusque vicesque
Ecce noua in sanctam venit meditatio mentem
Nanque pio versare animo vasteque parentem
Cultorem heremi primum se credere cepit
Quod pater omnipotens de summo vt vidit olympo
Haud errare virum passus subita agmina cogit
Celestum, et letus sic alta e sede profatur
Felices nos o nostri pars fida cohortes
Proposito que nos quondam meliore secute
Aeterna ⁊ meritis cepistis debita nostris
Premia Jam gaudere metus ⁊ ponere fas est
Antiquos, sedet ecce animo semperque sedebit
Illa dies qua diuorum pulcherrimus olim
Intumuit valida incendens tristique supernos
Seditione choros, qua magno turbine miscens
Innumero ethereas spoliauit numine sedes
Non impune autem. iusta ⁊ nos tangimur ira!
Nunc ille ⁊ populus nunc ille miserrimus omnis
Vltrices luit eterno sub carcere penas
Nunc vero satis est medio ferapreliа celo

Concinuisse At quas etiam mortalibus imas
Tradidimus terras longa asperitate fatigat
Bellorum. quin arte rudes primosque parentes
Transgredier nostros iussus paruoque maloque
Concilio. et monitis est exhortatus iniquis
Premetuens et quos illi suffecimus egra
Mente ferens homines ad nostra hec regna vocari
At valuere doli multum et nocuere fatebor
Humani donec generis commotus amore
Demisit et proprium terreno pondere gnatum
Uestiuit qui nostra libens mandata secutus
Factus homo est. et martyrio tristique litatus
Supplicio. veteres sublimi sanguine culpas
Purgauit. stirpemque hominum celestibus oris
Restituens. tetri rapuit de faucibus orci
Sic casse antiqui fraudes iacuere draconis
Necdum autem sedata sitis rabiesque nocendi est
Quippe acuens qui se nunc liuidiore veneno
Inuidiaque ardens maiore erumpit in omnes
Audaces scelerum hortatus. ius omne bonumque
Proterit. et rapida inuoluit vertigine terras.
Quoque nihil grauius fueritque dolentius vnque
Dum fallit veterum sub relligione deorum
Mortales. nostri tentat pia numina gnati
Uertere. et emeritos fidei melioris honores.
Et vertet nisi nostra modum sapientia ponat:
At sperate animis atque hec aduertite letis
Que dicam Surgent celebres sanctique nepotes:
Eximius monachorum atque illustrissimus ordo
Qui summa virtute polos et sidera tanget

Qui nostrum augebunt nomen qui pectore forti
Obijcient sese contra bella aspera contra
Insidias stimulos calcabuntq; hostis amaros
Antiqui. nostroq; gerent sub nomine quicquid
Optarint. sistent fluuios. montesq; mouebunt
Imperio cogent imbres noctemq; diemq;
Curabunt egras mentes et corpora morbis
Absoluent. animas veterisq; ad lumina vite
Restituent. nostro efficient quecunq; potentes
Auxilio. ⁊ nostro freti pietate vocarint
Di quanto augebunt olim terrasq; iuuabunt
Presidio. longis demum laboribus actis
Cernere erit quanto decorabunt lumine celos
Quanto illustrabunt sedes splendore beatas.
In patriam magno iussi remeare triumpho
Ecce autem caput et tantorum causa bonorum
Natus in cois egipti anthonius oris
Quali ille integritate et quali pectore pollet.
Quanta ille infernum tulit inuictissimus agmen
Uirtute horrendis cesus fractusq; flagellis
Quam longa en cerno simili se turba sequentur
Exemplo. nec nunc percurrere singula nostri est
Consilij. magnum est atq; admirabile quicquid
Uenturum longa sub posteritate tacemus
Interea ignarum qui se interiora latentis
Se primum ratus est heremi secreta subisse
Stat charumq; monere senem nanq; optimus alter
Et prior ⁊ multis se longe antiquior annis
Solus ait vasto iam pridem obscurus in antro
Paulus thebanis quondam sub finibus ortus

Jam sedi phasma. iam celi dignus honore
Illum adeat. visatqꝫ senex. senis ora iubeto
Hecdiuum pater ꝛ toti mira addita celo est
Leticia. haud aliter qꝫ graium si quis amicas
Vel danaum ductor placida dum voce catervas
Hortatur. magno in numeram cum robore gentem
Venturam auxilio. multa ardua corpora narret
Letantur. speqꝫ ingenti cōplentur ovantes
Tum vocat ꝛ celo gabrielem mittit ab alto
Utqꝫ ferat sancto que sint faciendi parenti
Nunciet ꝛ quenam sua sit sententia mandat
Ille volat. tacitaqꝫ virum sub nocte quieta
Dum servit verbis invadit talibus ultro
Hec tibi de sūma celi fero nuncius arce
Anthoni. mandat divumqꝫ hominumqꝫ creator
Ut que sacra colit paulus locaqꝫ abdita poscas
Accelerans. hominem nulli iam nomine notum
Prestantēqꝫ incredibili virtute videbis
Non tu ut rere prior deserti occulta subisti
Claustra heremi. prior ille, annis grandior ille
I. certum pater almis iter tibi pandꝫ eunti
Sic ait in tenues fugiensqꝫ relabitur auras
At sacer etherei volvens ingentia secum
Jussa patris. noctem qꝫ primum anthonius atrā
Dispelli. nitidum viditqꝫ rubescere celum
Haud mora carpit iter iussum: baculoqꝫ seniles
Sustentans artus graditur per que horrida nescit
Deserta. ꝛ quorum fidens sub numine tendit
Celicolas mitis celi regemqꝫ precatur

Incipit liber Secundus

Nterea infelix horrendi rector auerni
Conuocat infernos ⁊ amaro pectore coetus
Alloquitur tristi fundens has ore querelas
Heu nostre en socij vires: hec gloria nostri
Hoc regni decus: ingenio tali ne vocemur
Calliditas hec nostra. hi sunt astusqꝫ doliqꝫ
Heu frustrate artes hec cassa infractaqꝫ nostri
Consilij vis ⁊ nostrorum illusa laborum
Quid primos astu captos peccasse parentes
Quid prodest. miseros tot indoluisse nepotes
Facta patrum. propria si vitam morte redemit
Omnipotens proprio si crimina sanguine lauit
Haud dominū seruos tantum exarsisse putassem
Ut ꝑ se morti caput vltro offerret acerbe
Nunc ꝙ cum magno cogor meminisse dolores
Cedimus. atqꝫ ipsis victi a mortalibus omnes
Per terras longe abiecti indecoresqꝫ fugamur
Nec nostre insidie. nec quis seuire solemus
Ingentes stimuli. nec bella ingentia possunt
Cernitis vt reliquos taceam quo robore nostras
Sustinuit pugnas q̄ mente Anthonius equa
Nostra flagella tulit. qua vi nos ille fatigat
Nunc miseros quibus excruciat nos ille flagellis
Et nūc celesti iussu vastissima fertur
Per deserta petens paulum. non dispare cultu
Non vita inferiore hominem. sed cognita nulli est
Phama latentis ad huc. vereor nec vana vereri
Causa monet. ne si placidis se amplectier vlnis
Inqꝫ vicem vati ⁊ dextras contingere detur
In nostra annosi iungant se damna parentes

Quo circa quid consilij capiamque sequarque
Haud scio. nota hominū vita et cōstātia nobis est
Sat mihi sit tanti vos admonuisse pericli
Si qua via est nos ita malisque absistite vestris
Dixerat. et magno cuncti infremuere tumultu
Perculsi affatu tanto velut improba quando
Predonū manus insidijs loca tuta viasque
Perturbat fedusque iniens conspirat in vnum
Si validam sese contra videt ire virum vim
Tristatur metuitque nouis iam viribus impar
Et iam consensu cunctorum emissus ab ima
Sede. sathan. celi inuisas conscenderat auras
Continuo horrendam effigiem qua fallere sanctum
Ac terrere virum spe multum aggressus inani est
Induit os informe hominis pectusque manusque
Cetera equum tali mentitus imagine qualem
Centauris docti tribuere immanibus olim
Dum multa exornant dum fingunt plurima vates
Jam medium peragrarat iter libransque regebat
Ardentes sol altus equos vt se obtulit horrens
Forma viro stetit. et paulum conterritus hesit
Deinde dei auxilio tutās se anthonius vltro
Occupat heus tu oro an quisque sub finibus istis
Uir charusque deoque placēs latet incola forsan
Ille nihil contra. nanque id diuina vetabant
Jussa. ausus tentare virum ne illudere verbis
Sed blandas rigido voce de pectore quamuis
Non intellectas fudit. dextraque cupitum:
Protensa monstrauit iter. per deinde patentes
Effusus cursum campos (mirabile visu)

Ex oculis getice diffugit harundinis instar
Obstupuit pater admirans casumqꝫ virumqꝫ
Tum se commendans superis superumqꝫ parenti
Progreditur. nec longa mora est. ecce altera mōstri
Saxosam conuallem inter se forma bicornis
Humana effigie. sed aduncis naribus offert
Que capram media parte inferiore figurat.
Hanc palme ferens quasi pacis signa ferentem
Ut vidit, primum ille dei se numine firmat
Tum qui sit quoue ex genere aut quis casibus actus
Adueniat fari hortatur. sic semiuir illum
Hortantem placido supplex est ore sequutus
Ne dubita non vana oculos decepit imago
Nostra tua pater o magnis charissime diuis
Et mortalis ego z mortali ex sanguine cretus
Et tacitus hec habito que nunc deserta pererras
Sum numero ex illorum olim quos ceca vetustas
Admirata deos satyros faunosqꝫ vocauit
Legatum tibi me sociorum turba meorum
Trāsmittit pater: vnanimes te diue precamur
Communem vt dominum pro nostra orare salute
Digneris. Scimus siquidem certumqꝫ fatemur
Nanqꝫ omnem fama illius penetrauit in orbem
Quanta hominis pietate z quāto exarsit amore
Pro quis z se hominem nasci natumqꝫ necari
Tam dira passus morte est Nec plura locutus
Conticuit Stabat defixo Anthonius ore
Jam dudum admirans z vultum z verba loquentis
Dum tantosqꝫ animo affatus casusqꝫ volutat
Ingenti pre leticia. longum ille profusis
Emanās lachrymis preduicibus ora rigabat

Ac veluti redeunte nouo cum germinat anno
Arridetq omnis reuirescens frondibus arbos
De hinc baculo terrã pulsans. heu que impia vanis
Inquit allexãdrea deis gens construis aras
Heu que celestes falsis exoluis honores
Numinibus gens infelix que temnere verum
Saluatorẽ audes hominum. quem belua mitis
Fassa vltro est ⁊ opem precibus venerata poposcit
Talia conquestus senior sed forsitan audet
Ut serui in dominum surgunt cui fida canum vis
Necdum finis erat verbis. volucri pede quando
Cornigerum se animal tollens per deuia fugit

Incipit liber Tercius.

Onga peragrabat sanctus deserta viator
Et iam bis radijs sol illustrauerat orbem
Et bis nox tenebras induxerat humida terris
Jam quid agat iam quo vertat virse optimus ergo
Ignarus que spes tantum restabat ad altum
Intendẽs celum palmas extendit vtrasq
Per totam insomnis noctem. longasq profũdit
Cum gemitu lachrymisq preces celestia poscens
Auxilia Et nondum roseis prouecta quadrigis
Linquebat solitum tytoni aurora cubile
Cum per pallentis dubie ve crepuscula noctis
Cernit anhelantem propius montisq petentem
Uicini vacua antra lupam: quam deinde secutus
Actutum pater est. oculis vestigia fixis
Obseruans. demumq feram abcessisse vbi sensit.
Spelunce stetit ante aditus paulumq moratus
Atq introspiciens cecis nil vidit in vmbris
Suspenso mox se fert intra limina passu

Progrediēs simul intentis atqꝫ auribus omnem
Luminibusqꝫ locum explorans. tum forsitan atram.
Per noctem tremulum lumen splendescere vidit
Quo viso properare. ⁊ iam sperare quietem.
Incerteqꝫ vie melius confidere cepit
Non secus ac si quando sitis quem torquet anhela
Sollicito ceruus gressu dubiosqꝫ per vmbras.
Siluarum ingentes per camposqꝫ anxius errat
Ignarusqꝫ locorum ignotas queritat vndas
Tunc si forte sonum crepitantum. ⁊ murmur aquarum
Auditum: agnorint aures: letatur ⁊ acri
Jam volitat pede: iam liquidi spem cōcipit amnis
Sic pater at magno dum mēbra senilia demum
Uisendi desiderio. studioqꝫ fatigat
Accelerans: lapidem ceca sub nocte iacentem
Incidit: obiectuqꝫ pedis se offendit amaro
Ingentemqꝫ dedit strepitum quo concitus alte
Uir mentis. dum forte deum vocat. ostia paulus
Accurrēs claudit solito ⁊ munimine firmat
Ut solet in vasto si quis regit equore nauim
Cum tonitru horrendo primum strepere aera sentit
Colligere et velis validos aptare rudentes.
Fortius. ⁊ cura maiore incumbere remis
Et si quid desit naui succurrere egenti
Utqꝫ aper audita dum saltibus errat apricis
Uoce canū subito latebrarum se obice tutans
Frondosa aut silua secreto aut conditur antro
Tum bonus ante fores clausas senioris amici
Multa diu placido fundens Anthonius ore
Prestitit obsecrans aditum per si qua tibi inquit

Est pietas miserere oro pater optime nosti
Qui veniam que causa vie quo missus ab ore
Si tibi nulla mei cura est. tua (nanq͂ fatebor)
Haud mereor pater ora. tuos vult⁹q͂ tueri
Tantorum ⁊ saltem tibi sit cura vlla laborum
Concedes ne feris aditus hominiq͂: negabis
Qui per tot te dura petit discrimina per tot
Incertasq͂ grauesq͂ vias estusq͂ furentes
Pande fores pater. hinc nusq͂ discedere fixum
Propositum est vbi viuentem cōtēpseris at me
Extinctum certe excipies condesq͂ sepulchro
Talia persistens lachrymis fundebat abortis
Cui sic ille refert. paucis: per tot ne labores
Venisti nostro conspectu admittier optans
Nunc moriturum autem te ni admittare minatis
Impetrant ne minis alij. sic fatus ⁊ olli
Arridens dextra postes patefecit amica
Suscepitq͂ hominem sanctū sanctissim⁹ hospes
Inq͂ ruens eius cōplexum atq͂. oscula iungēs
Sic prior aggreditur. quē tu o charissime tanta
Anthoni cura. tantoq͂ labore petisti
Ecce ego nunc longa marcens etate rigensq͂
Canicie inculta. membrisq͂ trementibus. ⁊ iam
Parua mora est. lacerum putensq͂ horresq͂ cadauer
Hec senior: simul intra heremi penetralia diuum
Eximio flagrans ipsum ducebat amore
Vestibulum hic ingēs intus cui desuper altos
Palma vetus ramos celo fundebat aperto
Quodq͂ in te uiridis oriens purissimus vndis
Sed circum viridante solo fons lene fluebat

Inde per excesum locus erant sibi plurima montem
Atqꝫ intus vaste incudes ⁊ multa fabrilis
Materie instrumenta quibus iã certa vetusqꝫ
Historia est illo percussa nummismata furtim
Tempore quo functus cleopatra anthonius olim est
Huc igitur sese vix pubescentibus annis
Contulerat fugiens odia infensissima paulus
Que decius studijs ⁊ valerianus iniquis
Infande bine pestes immania monstra.
Contra exarcebant christum christiqꝫ fideles
Cultores ⁊ iam prope centum haud cognitus vnqꝫ
Hic latitans (mirum dictu) transegerat annos
Ipsa ministrarat vestitum palma cibumqꝫ
Tale intra hospitium sacra cum fronde receptus
Tale intra penetrale senex egiptius ibat.
Ingentesqꝫ deo laudes pro munere tanto
Fundebat. vitrei tum vero in margine fontis
Multa recensentes fessi sedere parentes
Nunc annos casusqꝫ suos narrabat vterqꝫ
Nũc hominum studia ⁊ mores nũc seua potentũ
Imperia ⁊ regum furias nunc si qua nefande
Religionis adhuc starent monumenta rogabat
Hic miserans verbis ille exponebat amicis
Quales diuersi qui iunguntur ab oris
Militie assueti duros tolerare labores
Congaudent. varioqꝫ simul sermone fruentes
Magnorum heroum casus ⁊ bella recensent
Hec inter sedisse alta super arbore coruũ
Suspectant plaudentem alis atqꝫ ore ferentem
Flauentis micam cereris quam deinde locatu

Se coram leni posuit. miratus vterq;
Substitit, his paulus prior est tunc vocibus vsus
Nunc te nunc quanta es nosco o dilecte deo vir
Uirtute et quanta diue integritudine vite
Hac bis sex actis hoc munus ab alite lustris
Dimidium excepi. nunc adueniente benignus
Integra dona deus ferri celestia iussit
Dona suum que longum in te testantur amorem
Ergo hec omnipotens que nobis munera mittit
Tanta libens sume atq; tua tu diuide dextra
Hinc ait illa tua est et vita et dignior etas
Te potius partire decet: certamine tali
Contendere diu patres iam ibat in vndas
Occiduas sol pronus: equosq; vrgebat anhelos
Tandem quisq; sua placuit sententia nanq; hec
Apprehendit dextera munus cereale simulq;
Apprehensum leuiter partes diuisit in equas
Inde deum summis tollentes laudibus ambo
Se pariter tenui victu recreantq; fouentq;
Et pariter liquidi libantes fontis amenas
Excipiunt vndas. vigilem tum scilicet omnem
Orantem noctemq; deo ducere vocantes

Incipit liber quartus

Ecce rubens currum sol matutinus agebat
Et madide in viridi lucebant gramine gutte
Tunc placido excitum paulus sermone parentem
Compellat. Te chare sub his regionibus hospes
Esse olim certo sciebam quem maximus alter
Presentis quando vite suprema veniret
Leta dies venturum ad me regnator olympi

Pollicitus: nunc esse animo flagrante cupitum
Optatumqꝫ diu tempus quo carcere tandem
Soluat ab hoc abiens eternaqꝫ regna reuisam
Tu missus qui vita meos vbi linqueret artus
Contigere effossa vellesqꝫ recondere terra
Tu repete ergo domum contextaqꝫ munera palli
Que tibi athanatius presul donauerat olim
Affert vt extinctum sancto velamine corpus
Obuoluas. sic fatus erat. sic ille rogarat.
Non quod cura sibi tectus nudusue iaceret
Qui palme intextis folijs tam paupere amictu
Contentus sese tantum vestire solebat
Sed quo illum instantis mortis merore leuarz
Tantisper patrias ratus est demittere ad oras
His pater auditis stupefactus pectore toto
Constitit admirans diuina Anthonius ora
Diuinasqꝫ eius voces . qꝫ spiritus esset
Incensus quod gnara sibi qꝫ plena deo mens
Tum ne desereret sese lachrymansqꝫ gemensqꝫ
Et comitem exciperet quecunqꝫ ad fata rogabat
Contra ille . hanc te queso inquit nunc exue curam
Et certa dies suprema et meta laborum
Fixa manet. nunc ad comune plumeqꝫ tuorum
Exemplum sociorum. alme. ꝛ vestigia vite
Te mundo tam mite patres superesse necesse est
Amplius haud verbis audens anthonius vllis.
Obniti sancto. primum fert oscula patri
Jussa viri deinde exequitur seniocqꝫ grauatos
Exercent rursum gradiens artusqꝫ fatigat
Hec inter rex etheree sanctissimus aule

Celestes vocat ad sese longo ordine turmas
Ut terrasq; petant. utq; atro e corpore soluant
Felicemq; animam pauli alta ad sidera mandat
Ut leto applausu leto vt comitentur honore
Et iam contigerat vir sanctus tecta domumq;
Optatam. ⁊ patrijs fessus consederat aruis
Ecce duos quos longeuo sibi pectore fidos
Et vita insignes delegerat ille ministros
Confectum excipiunt longarum mole viarum
Confectum ⁊ longo senio recreantq; parentem
Conspectuq; suo leti amplexuq; fruuntur
Quales forte diu qui non videre magistrum
Absentem demum redeuntem agnoscere leta
Fronte canes ⁊ mulcere ⁊ contingere gaudent
Non secus hi, tum cause more que tāta requirunt
Quis latitans steteritq; locis pauca ille locutus
Uidi hominem quo non est alter sanctior inquit
Diuinum humano specimen sub pectore vidi
Talia dicentem sacra atq; antistitis vna
Munera Athanasi secum deferre parantem
Ut que nam tanta hec essent exponeret illi
Poscebant. abiens senior ne plura requirant
Cetera ait, Nec enim prestat. nunc cetera fari
Ergo ad grandeuum citius tendebat amicum
Unum se cupiens vnum se vita priusquam
Linqueret ethereas et spiritus iret in auras
Compelcei coram flagrans coramq; tueri
Postera iamq; dies aderat. breuis ⁊ via eunti
Restabat. tunc forte oculos Anthonius altos
Sustollens, miro paulum candore nitentem

Plaudentes inter diuum longas[que] cateruas
Uidit siderei scandentem ad culmina celi.
Magnanimos tali capitolia ad alta triumpho
Si minima equare & summis componere fas est
Romulidos victo credas ex hoste redisse
Tum lachrymas atro[que] incompta in puluere fedans
Caniciem. cur paule inquit me deseris. vt quid
Me sine supremum voluisti attingere finem
Et sine me longos vite finire labores
Cur mihi tectam sera dies ostenderat. vt nunc
Tam subita eriperet Salue o venerande deo[que]
Uiue vale[que] pater. sic fatus et illicet acri
Ardore incensus mentis. reliquum omne cucurrit
Instar auis volitantis iter. Ceu quando sopora
Nos somni placidam capimus sub nocte quietem
Et nunc sistere nunc agiles attollere plantas
Et passim longum ferri per inane videmus.
Mox introgressus speluncam tendere palmas
Inflexis genibus sublato & vertice vidit
Exanimum pauli corpus sed viuere primum
Credidit: orabat[que] simul. gressum[que] tenebat
Quem postq[uam] agnouit vitali lumine cassum
Irruerat subito lachrymis atq[ue] oscula largis.
Mixta gerens & inexpletis complexibus herens
Ingentis gemitus dedet ingentis[que] vlulatus
Ac deum sacro defuncti corpus amici
Quem secum tulerat circumuoluebat amictu
Solemnes[que] illi cantus ex more ferebat
Supremos[que] simul mortis soluebat honores
Tum frustra terram qua sancta reconderet ossa

Effodere aggressus neqꝫ quū m sibi sarcula haberet
Quis foderet terram qua exāguia mēbra cubarent
Ne diuum patrem tumuli sine honore iacentem
Linqueret Ecce duo fusis per colla leones
Ex heremo interiore iubis decurrere cernit
Extimuit primos aspectu tum lumina vertens
Ad superos stetit intrepidam mentemqꝫ recepit
Olli demissis animis ⁊ pectore miti
Mira fides petiere senis venerabile corpus
Illiusqꝫ pedes circa accubuere frementes
Extinctumqꝫ prope humana pietate querentes
Dehinc pedibus tantum terre scalpuntqꝫ ruuntqꝫ
Certatim quantum tumulo satis esset ⁊ ipsum
Exprimeret cura patremqꝫ leuaret egentem
Sic quādo aret olus arent ⁊ prata nec vllas
Quas infundit habet terris sitientibus vndas
Agricula infelix. tunc ⁊ prelargus aquarum
Effundet torrēs ⁊ riui ⁊ hiantia passim
Prata fluunt letis ⁊ egentes imbribus horti
Continuo ad sanctum blando cum murmure patrē
Ibant deiecta ceruice manusqꝫ pedesqꝫ
Lingebant. quales studium quos nutrit herile
Blandiri caudaqꝫ solent linguaqꝫ catelli
Ille stupens que tanta esset sub corde ferarum
Cognitio. duplices tendebat ad ethera palmas
Extollensqꝫ dei magnum ⁊ mirabile munus
Proqꝫ bonis digna exoluens quasi premia tantis
Precipuas pro se atqꝫ preces fundebat amicas
Discessere fere tandem capit ille beatum
Inclinans sese corpus tumuloqꝫ recondit.

Intextum at folijs palmarum in pignus amoris
Grande tulit quem se reliquo sub tempore tantum
Solennes sacrosque dies vestiuit amictum
Tunc vbi clara sequens tenebras aurora fugauit:
Discedit, cupidusque domum sociosque reuisit
Celestemque hominem facta et celestia narrans

LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

terra purgatur sordes cum reliquiis ...
fossorio

ula haberet
ta cubarent
iacentem
nes
nit
vertens
ꝫ recepit
rpus
es
querentes
atqꝫ ruunteꝫ
et ⁊ ipsum
tem
e yllas
us vndas
uarum
m
s horti
urmure patrē
ꝫ
trit herile
elli
ferarum
ra palmas
munus
zemia tantis
bat amicas
um
ndit.

Tumulus aliquid dicitur terra tu-
mens et tollens aliquid sepulchrum
quia ibi reparantur terra congerat
hinc tumulo sepelio

Iubar ... est a ... dicitur
... iubar ... vera
... differt ... non ha-
bentium iubas ...

ferme ante ... sonat

scalpo ... scalpunt gallinae
pedibus homines ...

Prata sunt ... quibus ... colligitur
dicta quasi ... parata ad
fructum faciendum ... a prato fit
pratense quod ... est ut
pratenses herbe ... flores

Differunt continuo et continue
... et stat
continue sine intermissione

Herile dicitur ad herum pertinens
sive quod heri est ut herilis filius

Catelli ... catuli sive canes

Fere dicti sunt ... a fero quod toto
corpore ferantur vel quod ...
impetu et sine ratione
ferantur vel dicitur fere sunt
fere animalia proprie omnes
quadrupedes ...
... ferocitatem ... ut leones pardi
lupi et ... reliqua animalia

... acquisit ...
... tumulus ... sibi ... quam ... fossor
... fuerat et sit ad monasterium reversus
... diebus ... solemnibus pasche vel
... restatus est